



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio IV. De necessitate fidei, divinæ, & ejus externæ professionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

dendi, tanquam in motiva, quibus inducimur ad volendum credere. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam omnia à Deo revelata, respondeo, quia teneor, & honestum est in omnibus se submittere auctoritati Dei loquentis.

3. Resolvi potest in Deum, tanquam principium effectivum. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam tot mysteria, ad credendum tam difficilia, respondeo, quia Deus me gratia sua adjuvat ad credendum.

4. Resolvi potest in voluntatem, tanquam in causam applicantem & determinantem intellectum. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam mysterium Trinitatis, quod videtur pugnare cum principiis lumine naturali notis, respondeo me credere, quia summæ auctoritati divinæ supremum cultum exhibere volo, captivando intellectum in assensum rerum cum ratione apparenter pugnantium.

5. Resolvi potest tanquam in causam dirigentem, in Ecclesiam habentem auctoritatem, fundatam in argumentis, quibus ejus doctrina redditur evidenter credibilis, aut etiam evidenter vera evidentiā magna morali. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam Scripturam hanc esse verbum Dei, respondeo me credere, quia hanc Scripturam esse verbum Dei tenet & semper tenuit universa collectio fidelium, sive, quod idem est, quia quod Scriptura hæc sit verbum Dei, est unum è præcipuis articulis doctrinæ Christianæ.

6. Resolvi potest, tanquam in causam proponentem, in Ecclesiam habentem auctoritatem fundatam in speciali Spiritus sancti assistentia, in scripturis promissa. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam esse in Christo duas voluntates, divinam & humanam, respondeo, quia hoc ab Ecclesia in Concilio generali definitum est.

7. Potest resolvi in veracitatem & revelationem divinam, tanquam in motivum formale intrinsecum. Sic resolvo fidem meam, dum quaerenti v. g. quare credam mysterium incarnationis, respondeo me credere, quia prima veritas revelavit verbum esse incarnatum, &c.

Vitiosum circulum admittit, qui hoc per illud, & illud per hoc sive mediātē sive immediatē probat in eodem progressu, & apud eundem, qui æquē utrumque negat, vel æquē de utroque dubitat. Sic vitiosa circulationis reus esset, qui pagano æqualiter neganti Scripturam & Ecclesiam, probaret Scripturam per Ecclesiam, & Ecclesiam per Scripturam, ibi sistendo.

Non admittit vitiosum circulum, qui probat hoc per illud, & illud per hoc in diverso progressu, & in ordine ad diversum intellectum, quando scilicet hoc ignotius est uni, & notius alteri: nam v. g. sine circulo vitioso probō causam per effectum illi cui effectus notior est quam causa; & vicissim probō effectum per causam alteri, cui causa notior est, quam effectus. Hinc sine vitiosa circulatione probamus Judæis novum testamentum ex veteri quod admittunt, & vicissim testamentum verus Manichæis, ex novo, quod agnoscunt. Item sine vitiosa circulatione probamus Ecclesiæ infallibilitatem ex Scriptura contra hereticos, qui Scripturam agnoscunt; & vicissim Scripturam ex infallibilitate Ecclesiæ, contra alios, qui admittunt hanc infallibilitatem.

Omni suspitione vitiosæ circulationis caret progressus ille, quo sistitur in aliquo, quod est ultimum simpliciter in illo progressu, & quod est per se notum. Unde Catholicus in reddenda ratione suæ fidei non admittit vitiosum circulum, quia sistit in aliquo, quod est ultimum simpliciter in progressu quem facit, & per se notum. Res declaratur exemplo. Quæris à Catholico, quare credit realem Christi præsentiam in Eucharistia? Respondet, quia hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, significant realem ejus in Eucharistia præsentiam. Quæris, quare credat hunc esse sensum verborum Christi? Respondet, quia ita definitum est ab Ecclesia, quæ in definitionibus fidei infallibilis est. Quæris quare credat Ecclesiam esse infallibilem in de-

initionibus fidei? Respondet, quia hoc manifestè docet Scriptura, quæ est verbum Dei, puta hæc: *Porte inferi non prævalerunt adversus eam*; Quibus verbis manifestè promittitur specialis Spiritus sancti assistentia in rebus fidei rectè definiendis. Quæris unde habeat, quod hæc Scriptura sit verbum Dei? Respondet, ex eo quod, hanc Scripturam esse verbum Dei, sit unus è præcipuis articulis doctrinæ Christianæ; quam veram & divinam esse, evidenter credibile, imò simpliciter evidens est evidentiā magna morali, propter argumenta quibus nititur ejus veritas & divinitas; ibique sistit, in illis scilicet argumentis, quæ per se & non per aliquid sibi superadditum ex parte objecti, hanc evidentiā mentibus ingerunt.

Dices. At hoc est, probare infallibilitatem Ecclesiæ per ipsam infallibilitatem Ecclesiæ, & consequenter probare idem per idem, quod est nugari, & in circuitu ambulare. R. Hoc est, probare infallibilitatem Ecclesiæ, in dirimendis fidei controversiis, ut expressam distinguere in verbo Dei, per eandem infallibilitatem Ecclesiæ, in discernendis veris Scripturis à falsis, ut evidenter credibile, imò evidentem simpliciter evidentiā magna morali, propter notas & characteres, quibus distinguitur christianismus, & apparet divinus, atque à Deo institutus. Quod non est, probare idem per idem: hoc enim est, infallibilitatem Ecclesiæ in dirimendis controversiis fidei, ut expressam in verbo Dei, probare mediate per argumenta credibilitatis, quibus nititur doctrina Christiana, & quæ sunt veluti primum & universalissimum principium credendi omnia, quæ fide divina creduntur.

Iniquè igitur vitiosam circulationem nobis objiciunt hæretici; præsertim cum ipsimet in illa hæreant: nam si quæras ab eis, unde habeant hanc Scripturam esse divinam, respondent se habere ex interno & privato spiritus, qui est Spiritus sancti testimonium. Quod si quæras ulterius, unde habeant, quod spiritus ille privatus sit testimonium Spiritus sancti; cum hoc nec sit evidens per se, nec specialiter ipsis revelatum? respondent se habere ex Scriptura, hac verb. gr. *Oves meæ vocem meam audiunt*; vel quia Spiritus ille privatus conformis est Scripturæ. Unde divinitatem Scripturæ probant per spiritum privatum, & spiritus privati sinceritatem probant per Scripturam, sicque divinitatem Scripturæ probant per ipsam Scripturam præcisè; quod evidenter est in circuitu ambulare: nec aliter evadere possunt, cum dicant nihil esse credendum, nisi quod continetur in Scriptura, juxta internum & privatum eorum spiritum intellecta, pertinaciterque rejiciant infallibilem in discernendis veris Scripturis, earumque germano sensu explicando, auctoritatem Ecclesiæ, quantumvis credibilem, imò evidentem simpliciter evidentiā magna morali, per motiva quibus suaderetur veritas & divinitas christianismi.

DISPUTATIO IV.

De necessitate fidei divinæ, & ejus externæ professionis.

Nota 1. Duplex est necessitas respectu salutis, nempe necessitas medii, & necessitas præcepti. Necessarium ad salutem necessitate medii, est illud, sine quo non potest obtineri salus secundum legem Dei ordinariam. Talis est v. g. baptismus respectu infantium, qui non occiduntur in odium Christi, vel religionis Christianæ. Tale etiam est Sacramentum Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto susceptum, respectu adultorum, qui post susceptum baptismum mortaliter lapsi sunt. Necessarium ad salutem necessitate præcepti, est illud, sine quo salus obtineri non potest, quia cadit sub præcepto: unde cessante præcepti obligatione, non est amplius ad salutem necessarium, & sine jactura salutis omitti potest.

Nota 2. Necessarium necessitate medii differt dupliciter à necessario necessitate præcepti. Nam 1. necessarium necessitate medii non potest omitti sine jactura salutis, etiam si inculpabiliter omittatur, ut patet in par-

parvulis sine baptismo morientibus: nam damnantur, quamvis absque ulla sua culpa personali sine baptismo decedant: necessarium verò necessitate præcepti potest sine salutis dispendio omitti, modò omittatur inculpabiliter propter ignorantiam invincibilem, aut aliam causam legitimam.

2. Quæ sunt necessaria necessitate mediæ, sæpe non sunt in potestate hominis, ut prima gratia. At quæ necessaria sunt necessitate præcepti, sunt in nostra potestate, quandiu necessaria sunt, & desinunt esse necessaria, ubi primò desinunt esse in nostra potestate, quia statim desinit obligatio præcepti: præcepta enim non obligant ad impossibile.

Nota 3. Adhuc majoris claritatis causa, necessarium ad salutem distingui potest triplex, nempe necessarium necessitate mediæ tantum, necessarium necessitate præcepti tantum, & necessarium necessitate mediæ simul & præcepti. Illud est necessarium necessitate mediæ tantum, sine quo non potest salus obtineri; non cadit tamen sub obligationem præcepti, quia non est in nostra potestate, ut prima gratia. Illud est necessarium ad salutem necessitate præcepti tantum, quod non est ad salutem necessarium, nisi quia cadit sub obligationem alicujus præcepti: talis est rei alienæ restitutio. Illud denique necessarium est necessitate mediæ simul & præcepti, sine quo habito in re, vel saltem in voto, salus est impossibilis; & quia est in nostra potestate, cadit sub præceptum: nam sicut tenemur procurare salutem nostram, ita & tenemur nobis procurare media, quæ sunt in nostra potestate, & sine quibus salutem nostram consequi non possumus.

ARTICULUS I.

Utrum actus fidei divinæ sit necessarius necessitate mediæ respectu adultorum, existentium in statu peccati mortalis.

Nota. Quæstio proponitur de adultis; nam planè indubitatum est, actum fidei divinæ non esse necessarium ad salutem parvulis ante ætatem adultam morientibus: parvuli enim justificantur in baptismo, sine actu fidei, cujus non sunt capaces; & morientes ante adultam ætatem, moriuntur antequam gratiam justificationis in baptismo acceptam amittere potuerint: unde salvantur absque actu fidei, sicut & absque omni actu cujuscumque alterius virtutis.

Item quæstio proponitur de adultis existentibus in peccato mortali; quia si quis in infantia baptizatus, moreretur post ætatem adultam, sed antequam peccaret mortaliter, moreretur cum gratia baptismali, quæ nisi per peccatum mortale amitti non potest, & ita salvaretur, antequam actum fidei divinæ exercuisset, nondum urgente præcepto fidei, vel ejus obligatione inculpabiliter ignorata. Tota ergo difficultas est de adultis, qui vel in infantia non fuerunt justificati per baptismum, vel justitiam acceptam postea per mortale peccatum amiserunt. Pro illis itaque sit

R E S P O N S I O.

Actus fidei divinæ necessarius est ad salutem necessitate mediæ omnibus adultis in statu peccati mortalis existentibus, sive ante, sive post baptismum.

Prob. Nullus adultus, existens in peccato mortali, salvari potest, nisi justificetur: nemo enim salvatur, nisi in statu justitiæ moriatur. Atqui nullus adultus, existens in peccato mortali, secundum legem Dei ordinariam justificari potest sine aliquo actu fidei divinæ, ita ut omni actu fidei divinæ etiam inculpabiliter omisso, nullus unquam adultus in peccato mortali existens justificetur. Ergo, &c.

Prob. min. 1. ex Apostolo ad Hebr. c. 11. ubi ait: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, &c.*

2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. ubi de baptismo dicitur: *Quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit justificatio.* Et c. 8. de ipsa fide: *Fides*

est humane salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.

3. Ex S. Augustino ser. 38. de tempore: *Fides est, inquit, bonorum omnium fundamentum, humane salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit eternam.*

Ratio à priori est voluntas Dei, exigentis ad conferendum adulto peccatori justificationis beneficium, ut sibi prius supremum intellectus cultum exhibeat, captivando intellectum in obsequium fidei, hoc est, ex pio affectu se submittendi authoritati divinæ, credendo firmissime res intelligentiam humanam superantes, præcisè propter revelationem & veracitatem divinam. Quæ voluntas Dei nobis sufficientissime innotebit ex Scriptura, Patribus & Conciliis, quorum plura testimonia legi possunt apud Valenciam & Suarez.

Nec dic Scripturam, Patres & Concilia loqui tantum de necessitate præcepti, aut, si loquuntur de necessitate mediæ, sumere fidem generaliter, præscindendo à stricta & lata. Nam 1. quòd loquuntur de necessitate mediæ, manifestum est ex tenore verborum. 2. Quòd loquuntur de fide stricta, quæ sola communiter exprimitur nomine fidei divinæ, patet ex eo quòd loquuntur de fide simpliciter, & sine addito. At nomine fidei simpliciter, intelligitur sola fides stricta.

Præterea, Apostolus, quando dicit, quòd impossibile sit placere Deo sine fide, loquitur de fide, quam initio capitis describit his verbis: *Fides est sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.* At his verbis describit fidem strictam & perfectam. Item loquitur de fide, quam habuerunt Abel, Henoc, Noè, Abraham, &c. & per quam Deo placuerunt: at fides illa fuit procul dubio fides stricta & perfecta, seu fides, quæ res à Deo revelatas cum summa apprehensione crediderunt præcisè propter veracitatem & revelationem divinam, post sufficientem illarum per motiva credibilitatis propositionem.

Obj. 1. Si actus fidei divinæ est medium ad salutem necessarium respectu adulti existentis in statu peccati mortalis, vel est medium necessarium simpliciter, vel secundum quid tantum. Neutrum dici potest. Ergo, &c. *R. neg. min.* & dico esse medium necessarium simpliciter, quia adultus peccator justificari non potest sine actu fidei in re.

At inquit. Scriptura, Patres, & Concilia intelligi possunt de necessitate actus fidei vel in re, vel in voto: sicut cum dicunt baptismum vel penitentiam esse medium ad salutem necessarium, possunt imò debent intelligi de necessitate mediæ vel in re, vel in voto.

R. neg. & dico magnum esse discrimen inter actum fidei & baptismum, vel penitentiam: nam neque Scripturæ, neque Patres, neque Concilia ulibi docent, vel innuunt sufficere ad justificationem & salutem adulti peccatoris votum fidei divinæ. At 1. Scriptura sufficienter significat sufficere ad justificationem votum baptismi, quando dicit peccatorem cum perfecta contritione justificari. Item sufficienter significat ad justificationem sufficere votum penitentiae, sive penitentia sumatur pro sacramento, sive pro dolore de peccatis, cum dicit hominem super omnia diligentem Deum, à Deo quoque diligere, dilectione scilicet justificante.

Similiter Concil. Tridentinum aperte supponit sess. 6. cap. 4. hominem justificari posse cum voto baptismi; & sess. 14. cap. 4. expresse docet per contritionem charitatem perfectam hominem Deo reconciliari ante susceptionem Sacramenti Penitentiae, & ita hominem Deo reconciliari per Sacramenti Penitentiae votum, quod includit contritio charitate perfecta.

Præterea, docendo hominem reconciliari Deo per contritionem perfectam, satis innuit etiam reconciliari per actum charitatis, æquivalentem contritioni per-

perfecte, & votum ejus includentem, & ita ad justificationem sufficere posse votum contritionis perfectæ. At nihil simile docet, vel etiam leviter insinuat de actu fidei divinæ; sed è contra aperte significat votum fidei divinæ nunquam ad justificationem adulti sufficere posse, cum loquens de adultorum justificatione, ait actum fidei divinæ esse fundamentum & radicem omnis justificationis, & sine illo nemini unquam justificationem contigisse.

Obj. 2. Si actus fidei perfectæ est medium ad salutem necessarium simpliciter omni adulto existenti in statu peccati mortalis, salus impossibilis est adultis infidelibus, quibus non prædicatur Evangelium. Consi. repugnat Apostolo dicenti 1. ad Timoth. c. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Nam, ut constat ex dictis suo loco, adulti infideles, quibus non prædicatur Evangelium, non accipiunt quidem auxilia proximè necessaria ad exercendum actum fidei divinæ, at accipiunt remotè sufficientia, quibus si rectè uterentur, acciperent ulteriora, & proximè requisita ad hunc actum.

Nota. Media ad salutem necessaria, sunt inter se subordinata; ita ut unum non detur nisi mediante alio. Itaque qui benè utitur medio sibi oblato, paulatim majora accipit: qui verò malè utitur, indignus est qui accipiat majora, & sic merito deseritur à Deo. Cum ergo infideles, quibus Evangelium non prædicatur, malè utantur mediis sibi à Deo ad salutem datis, mirum non est, quòd à Deo majora non accipiant, sed in tenebris infidelitatis relinquantur, in quibus morientes damnantur, non quidem ob infidelitatem, quæ in illis merè negativa est, sed propter peccatum originale, & alia actualia mortalia, in decursu vitæ commissa.

ARTICULUS II.

Quarum veritatum fides necessaria sit necessitate mediæ ad justificationem & salutem adulti existentis in statu peccati mortalis.

Nota 1. Potest aliquod credi dupliciter, explicitè, & implicitè. Illud creditur explicitè, quod per se & secundum se attingitur à credente per actum fidei. Sic credo, explicitè mysterium Trinitatis, quando propter revelationem divinam, assentior huic veritati: Deus est trinus. Illud creditur tantum implicitè, quod non attingitur per se & secundum se à credente; qui tamen per actum quo credit, attingit illud aliquatenus, & secundum rationem aliquam consulam & generalem illi cum multis aliis planè diversis communem. Sic credo mysterium Incarnationis, credendo Deum hominibus de sufficientibus ad salutem mediis providisse; qui modus credendi incarnationem, ut per se patet, valdè diminutus est, & imperfectus.

Nota 2. Mysterium Incarnationis tria includit. 1. Munus redemptoris & mediatoris Deum inter & homines. 2. Divinitatem hujus redemptoris: nam simul est verus Deus & verus homo. 3. Passionem & mortem ejusdem redemptoris, qua genus humanum redemit. Potest autem mysterium Incarnationis credi quoad hæc tria & implicitè & explicitè. Item potest explicitè credi uno actu, quoad primum tantum, & alio quoad primum & secundum tantum, & alio quoad omnia simul; quæ non habent difficultatem.

Item in Deo multa considerari possunt, nempe quòd existat, quòd sit author rerum omnium, quòd curam salutis nostræ gerat, quòd sit finis noster supernaturalis, & quòd sit unus in essentia, & trinus in personis. Potest autem explicitè credi uno actu præcisè ut existens, alio præcisè ut existens & author rerum omnium, alio præcisè ut existens, author rerum omnium, curam salutis nostræ gerens, & finis noster supernaturalis, alio denique, ut existens, &c. & unus in essentia ac trinus in personis, quæ omnia plana sunt. Sed queritur, utrum ad ju-

stificationem, & consequenter ad salutem adulti peccatoris, requiratur ut explicitè credat Deum sub illis omnibus considerationibus, imò & mysterium Incarnationis secundum illa tria, quæ includit. Quæ quæstio potest proponi non solum pro tempore quod Evangelii promulgationem secutum est, sed etiam pro omnibus tempore quod legis evangelicæ institutionem & promulgationem antecessit. Ad hanc quæstionem solvendam, fit

RESPONSIO I.

Fides, qua explicitè creditur Deum existere, esse authorem rerum omnium, curam salutis hominum gerere, & esse finem nostrum supernaturalem, fuit quovis tempore adulto peccatori necessaria ad salutem necessitate mediæ.

Prob. Nam nullus adultus peccator unquam justificari potuit sine fide illa. Ergo, &c. *Prob. ant. ex* Apostolo dicente Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Loquitur autem Apostolus. 1. De fide perfectæ, quæ sola venit simpliciter nomine fidei. 2. De fide explicita, qua nimirum res creditur, & attingitur in se, & secundum rationem propriam, ut manifestè ostendunt ipsa verba Apostoli. Præterea, fides implicita, quæ talis, non est fides rei, cujus dicitur fides, nisi secundum quid, & cum addito diminutive. De qua procul dubio fide non loquitur Apostolus; cum simpliciter dicat necessariam esse fidem Dei existentis & remuneratoris. 3. De fide Dei existentis sub ratione unius primi principii; loquitur enim de fide, qua Deus existens creditur ut Deus: non creditur autem, ut Deus, nisi credatur saltem, ut unum primum principium existens. 4. De fide Dei, ut remuneratoris, remuneratione supernaturali alterius vitæ, ut patet ex contextu. 5. Et ita de fide Dei ut curam gerentis salutis hominum, & ut eorum finis ultimi, per visionem beatificam possidendi.

RESPONSIO II.

Explicita fides mysterii Incarnationis, quoad divinitatem, passionem, & resurrectionem Christi, non fuit medium necessarium ad salutem adulti peccatoris in lege naturæ & Mosaica.

Prob. Nam medium ad salutem necessarium publicè omnibus prædicatur & promulgatur, alioqui Deus non provideret sufficienter saluti omnium hominum, quod est contra sinceram salvandi omnes voluntatem, quam Apostolus Deo attribuit pluribus locis. Atqui in lege naturæ & Mosaica, mysterium Incarnationis, quoad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, non fuit publicè prædicatum & promulgatum omnibus. Ergo mysterium Incarnationis, ut explicitè creditum quoad divinitatem, passionem, &c. non fuit medium necessarium ad salutem adulti peccatoris in lege naturæ & Mosaica.

Prob. min. ex Apostolo dicente Galat. c. 3. *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* Atqui fides illa, quæ in lege gratiæ revelanda erat, & quæ proinde ante legem gratiæ non fuerat revelata, & ad quam reservabantur Judæi ad Christum convertendi, est fides divinitatis, passionis, mortis & resurrectionis Christi: de hac enim fide perpetuo loquitur Apostolus. Ergo ex Apostolo, ante adventum Christi & legem gratiæ, divinitas, passio, mors, & resurrectio Christi non fuerunt publicè prædicatæ & promulgatæ omnibus.

Porrò cum dicimus medium ad salutem necessarium publicè omnibus prædicari & promulgari debere, accipiendum est in sensu morali; hoc est, ita debere, prædicari & promulgari, ut non aliquibus tantum, sed multitudini, non majoribus tantum vel doctioribus, sed etiam minoribus & indoctis innotescat, & si qui sunt, qui illud ignorant, ignorent ob aliquam culpam vel suam, vel aliorum, quorum curæ sunt

com-

commisſi; ita ut omnibus omnino notum ſit, quantum eſt ex parte Dei. At divinitatem, paſſionem, mortem & reſurrectionem Chriſti ſic prædicatas & promulgatas fuiſſe in lege naturæ & Moſaica, dici non poteſt: nam, ut docent communiter Doctores cum Sancto Thoma, ſic innouerunt aliquibus, majoribus ſcilicet & ſanctioribus, ut minores & multitudinem latuerint, quia nimirum aliquibus ex ſpeciali favore privatim revelata, non omnibus palam & publicè propoſita fuerunt, ut apertè docet Apoſtolus verbis ſupra laudatis, & poſt eum Auguſtinus, lib. 19. contra Fauſtum, cap. 14. ubi hæc habet de fide eorum, qui tempore legis veteris vixerunt: *Tunc & occulta erat fides: nam eadem credebant* (implicite) *eademque ſperabant omnes juſti & ſancti etiam temporum illorum, & promiſſa erant illa omnia Sacramenta, omniſque ritus ille ſacrorum. Nunc autem revelata eſt fides, in quam conclusus erat populus, quando ſub lege cuſtodiebatur.*

RESPONSIO III.

Fides, qua explicite creditur myſterium Incarnationis, quoad munus redemptionis & mediatoris Dei & hominum, fuit neceſſaria neceſſitate mediæ ad ſalutem adultorum in ſtatu peccati mortalis exiſtentium tempore legis naturæ & Moſaica.

Prob. 1. Quia ſi fides explicite Chriſti ſaltem ut redemptoris & mediatoris, non fuit medium ad juſtificationem, adeoque ad ſalutem neceſſarium adultis peccatoribus in lege naturæ & Moſaica, certè quia non fuit ſufficienter prædicatum & promulgatum in lege naturæ & Moſaica Deum providiſſe hominibus de redemptore & mediatore, per quem à peccatis purgati poſſent: Nam ex hypotheſi quòd publicè propoſitum fuerit Eccleſiæ in lege naturæ & Moſaica decretum divinum dandi hominibus redemptorem & mediatorem, per quem juſtificari & ſalvari ſperarent, & poſſent, nulla eſt ratio aſſerendi adultos peccatores in lege naturæ vel Moſaica juſtificari & ſalvari potuiſſe ſine fide explicite Chriſti ut redemptoris & mediatoris; & hoc aſſerere, derogare eſt honori Chriſti, ad cujus gloriam, velut ad finem, juſtificatio & ſalus hominum à Deo ſemper ordinata fuit.

Jam verò quòd Chriſtus ut redemptor & mediator hominum apud Deum, in lege naturæ fuerit publicè promiſſus & propoſitus Eccleſiæ (in quo ſanè eſt major difficultas,) oſtenditur, 1. Ex S. Thoma hic qu. 2. a. 7. in O. ibi Eccleſiam tempore legis naturæ & Moſaica dividit in majores & minores, & dicit myſterium Incarnationis non ſolum quoad incarnationem, ſed etiam quoad paſſionem & reſurrectionem Chriſti fuiſſe creditum tum à majoribus, tum à minoribus; à majoribus quidem explicite, à minoribus verò implicite & confuſe in fide qua explicite credebant per ſacrificia, quæ offerebantur, præfigurari myſteria Chriſti venturi, hoc eſt, Chriſti, quem eſſe venturum explicite credebant, & ſperabant, certè ut redemptorem & reparatorem generis humani. Verba S. Doctoris ſunt: *Post peccatum autem fuit explicite creditum myſterium incarnationis Chriſti non ſolum quantum ad incarnationem, ſed etiam quantum ad paſſionem & reſurrectionem, quibus humanum genus à peccato & morte liberatur. Aliter enim non præfigurarent Chriſti paſſionem quibusdam ſacrificiis, & ante legem & ſub lege, quorum quidem ſacrificiorum ſignificatum explicite majores cognoſcebant: minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum, credentes ea divinitus eſſe diſpoſita de Chriſto venturo, quodammodo habebant velatarum cognitionem.*

2. Adamo poſt lapſum non pro ipſo ſolum, ſed pro tota Eccleſia tam revelatus eſt & promiſſus Chriſtus ut redemptor & ſalvator ipſius, & totius poſteritatis ejus, quam alia multa ei partim ante, partim poſt ejus peccatum pro tota Eccleſia revelata ſunt, ut immortalitas animæ, mortuorum reſurrectio, præmiū juſtis, & ſupplicium malis in altera vita præparatum, &c. Sed per Adamum iſta, nempe aſſerere

immortalitas, reſurrectio mortuorum, præmia & ſupplicia alterius vitæ, ita propoſita & promulgata fuerunt toti Eccleſiæ, ut non ſolum à majoribus, ſed etiam à minoribus explicite credi poſſent. Ergo per eundem Adamum Chriſtus ut redemptor & ſalvator omnium hominum ita propoſitus & promulgatus fuit Eccleſiæ, ut non ſolum majores, ſed etiam minores poſſent illum ut talem explicite credere: tam enim, imò magis oportuit Redemptorem & Salvatorem credi poſſe explicite, quam immortalitatem animæ, & mortuorum reſurrectionem.

Confirmatur. Quia per Adamum eadem publicitate Chriſtus ſaltem ut redemptor & reparator prædicatus & promulgatus eſt Eccleſiæ, quæ prædicatum & promulgatum eſt peccatum originale, ſeu lapſus humani generis in ipſo Adamo; ne homines audientes vulnus ſibi per culpam primi parentis inſiſtum, & ignorantes ſibi à Deo miſericordi paratum eſſe remedium, in deſperationem adducerentur: cum è contra intelligentes ſibi proviſum eſſe de redemptore & reparatore, per quem à demonis ſervitute liberari, Deo reconciliari, & in priſtinum filiorum & amicorum ejus ſtatum reſtitui, atque celeſtem hæreditatem recuperare poſſent, animum erigerent, ad redemptorem & reparatorem ſibi promiſſum ſuſpirarent, in meritis ejus futuris conſiderent; atque divinam miſericordiam laudibus commendarent. Sed per Adamum ita publicè prædicatum & promulgatum eſt peccatum originale, ut explicite illius notitia ad omnes & ſingulos pervenire potuerit, ita ut à nemine ignoraretur niſi ob aliquam culpam vel ſuam, vel aliorum, quorum curæ commiſſus eſſet. Ergo ſimiliter per Adamum ita publicè Chriſtus ſaltem ut redemptor & reparator prædicatus & promulgatus eſt, ut explicite illius notitia ad omnes & ſingulos potuerit pervenire, & quantum eſt ex parte Dei pervenire.

3. denique, Aggæus Propheta adventum Chriſti præcens cap. 2. ſic ait: *Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum eſt... & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Eundem adventum prædicens Jacob, longè ante dixerat Genef. cap. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Sub qua autem ratione expectaretur Chriſtus ſeu Meſſias, inferius declaratur hiſ verbis: *Salutare tuum expectabo, Domine.* Ex quibus ſic argumentor. Chriſtus ſeu Meſſias, ut ſalvator & redemptor, fuit expectatus & deſideratus non ſolum ab aliquibus, ſed etiam à multitudine eorum, qui ſub lege naturæ vixerunt: nam manifeſtè ſignificant verba illa: *Expectatio gentium, deſideratus à cunctis gentibus.* At non potuit Chriſtus ſeu Meſſias deſiderari & expectari ut redemptor & ſalvator à multitudine eorum, qui ſub lege naturæ vixerunt, niſi ita publicè prædicatus & promulgatus fuerit in lege naturæ ut redemptor & ſalvator, ut ſub hac ratione non ſolum ab aliquibus, ſed etiam à multitudine non ſolum à majoribus ſed etiam à minoribus explicite & diſtinctè cognitus fuerit. Ergo, &c.

Hoc à fortiori verum eſt de iis, qui vixerunt ſub lege ſcripta: nec enim dici poteſt minorem & imperfectiorem fuiſſe Chriſti notitiam ſub lege ſcripta, quam ſub lege naturæ: imò longè perfectior & vulgatioꝝ fuit fama Chriſti tempore legis ſcriptæ, tum propter promiſſionem & revelationem Meſſiæ factam Abrahamo, & apud Judæos tantoperè celebratam, tum propter ſacrificia, quibus expreſſius præfigurabatur, tum propter ſcripta prophetarum, à quibus paſſim ejus adventus & myſteria prænuntiabantur, laudesque celebrantur, imò & ejus divinitas, paſſio, mors & reſurrectio non obſcurè delineantur, atque illis munus redemptoris & ſalvatoris clarè attribuitur.

Prob. 2. Quia ſemper, & conſequenter non ſolum in lege gratiæ, ſed etiam in lege ſcriptæ & naturæ, neceſſariam fuiſſe neceſſitate mediæ aliquam fidem Chriſti ad juſtificationem & ſalutem adultorum peccatorum, Doctores omnes agnoſcunt, & eſſe de fide docet Snares hic diſp. 12. ſect. 3. num. 12. Atqui dici non po-

potest probabiliter, quod suffecerit fides implicita. Nam 1. fides implicita Christi non est fides Christi simpliciter, sed solum secundum quid, & cum addito diminutive, imò & destruenti; fides enim implicita Christi proprie loquendo non est fides Christi, sed alterius objecti, in quo Christus modo valde confuso & generali continetur. Unde asserere necessitatem alicujus fidei Christi ad aliquid hoc intelligendo de fide implicita, in verbis ludere est, & revera tantum asserere necessitatem alicujus fidei, non Christi, sed alterius objecti.

2. Si ad justificationem & salutem adultorum non fuit necessaria alia fides Christi, quam implicita in lege naturæ & scripta, fides Christi non magis fuit necessaria, quam fides gratiæ sanctificantis, immortalitatis animæ, & resurrectionis corporum: harum enim rerum fides implicita necessaria, fuit necessitate mediæ ad justificationem adulti impii in lege naturæ & scripta: nam explicita fides Dei ut existentis, & inquirentibus se remuneratoris, atque per mediā à se disposita peccata condonantis, quæ fuit semper medium simpliciter necessarium justificationem adultorum, non est magis fides implicita Christi quam gratiæ sanctificantis, immortalitatis animæ, & resurrectionis mortuorum. Atqui videtur dici non posse abique aliqua Christi injuria, ad justificationem impii necessariam non fuisse fidem Christi diversam à fide gratiæ sanctificantis, & immortalitatis animæ: cum nullus unquam nisi propter merita Christi & ejus intuitu, à Deo justificatus fuerit, juxta illud Act. c. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

3. Scripturæ pro omni tempore requirentes ad justificationem impii aliquam fidem Christi, non possumus prudenter intelligi de fide implicita: nam absolute & simpliciter requirunt aliquam fidem Christi. At absolute & simpliciter requirere aliquam fidem Christi, non est requirere fidem Christi implicitam: cum fides implicita, ut jam observatum est, non sit fides, nisi secundum quid, & cum addito diminutive, vel etiam destruenti.

Et verò quomodo de fide implicita Christi seu Messie intelligi potest illud Habacuc cap. 2. *Apparebit in finem (Christus seu Messias) & non mentietur; si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso. Justus autem in fide sua vivet; (hoc est, in justitia, per fidem Messie accepta, per eandem fidem perseverabit.)* Et illud Apostoli Roman. cap. 1. *Justitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem (hoc est, ex fide Christi venturi in fidem Christi presentis.)* Et illud ipsius Christi Joan. cap. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum.* Quæ verba generaliter intelligenda sunt pro omnibus temporibus cum proportionem; ita ut sensus sit semper, ad justificationem & salutem necessariam fuisse aliquam fidem explicitam Christi proportionatam tamen legi sub qua vixerunt homines, sicut semper necessaria fuit fides explicita unius veri Dei.

Ad hæc omnia accedit autoritas S. Augustini pluribus locis, & præsertim lib. 18. de civ. cap. 47. ubi dicit inter gentiles ante adventum Christi non defuisse, qui justi fuerint, & ad electorum numerum pertinuerint, sed credendum esse ex illis nemini justificationis gratiam concessam esse, nisi qui explicitam fidem Christi, ut mediatoris Dei & hominum, ex revelatione ei divinitus facta habuerit. Verba S. Doctoris sunt: *Divinitus autem prævisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum viverent, eique placerent, pertinentes ad spiritualem Hierusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatum est unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiqui sanctis prænucebat, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, ut una eademque fides per ipsum omnes in Dei civitate* Simonnet Theol. Tom. II.

tem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducatur ad Deum.

Imò videtur S. Doctor pluribus locis existimasse fidem explicitam Incarnationis non solum quoad munus redemptoris & mediatoris, sed etiam quantum ad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, necessariam fuisse necessitate mediæ ad justificationem adultorum etiam tempore legis naturæ & legis scriptæ. Nam v. g. sic loquitur lib. de nat. & grat. cap. 44. *Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est, mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis & resurrectionis ejus; habentes ergo eundem spiritum fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Et lib. de peccato originali cap. 24. *Sine fide ergo incarnationis, & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari & Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat, siue in eis justis quos Scriptura sancta commemorat, siue in eis impiis, quos quidem illam non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt vel ante diluvium, vel inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore non solum in filii Israël, sicut fuerunt Propheta, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job.*

Obj. 1. Si fides explicita Christi ut redemptoris & mediatoris, fuit medium simpliciter necessarium ad salutem adultis peccatoribus in lege naturæ & Mosaica, vel fuit ex natura rei, vel ex lege Dei. Neutrum dici potest non primum: nam ad excitandam contritionem perfectam, & dilectionem Dei supernaturalem, quas Infallibiliter sublequitur & semper subsecuta est justificatio, ex natura rei sufficit fides explicita Dei ut existentis, & auctoris donorum supernaturalium & justificationis. Non etiam secundum, nam hoc neque ex Scriptura, neque ex Traditione sufficienter probari potest. Ergo, &c.

R. neg. min. quoad secundam partem. Ad prob. R. etiam neg. Itaque quod fides explicita Christi saltem ut redemptoris & mediatoris, fuerit semper medium simpliciter necessarium ad salutem adultis peccatoribus, habemus sufficienter probatum ex Scripturis, absolute & simpliciter fidem Christi ad justificationem adultorum peccatorum requiruntibus indefinitè & sine ulla restrictione temporis; & præsertim ex traditione, cujus testis locupletissimus est S. Augustinus: præter rationem convenientissimam à dignitate & gloria Christi petitam, qua suadet Deum propter honorem Christi noluisse ullos unquam adultos justificari sine fide explicita Christi saltem ut redemptoris; sicut noluit ullos unquam justificari, nisi intuitu meritorum ejus.

Obj. 2. Si fides explicita Christi ut redemptoris & mediatoris, fuit medium simpliciter necessarium ad salutem adultis peccatoribus in lege naturæ & Mosaica, salus fuit impossibilis innumeris hominibus non solum in lege naturæ, sed etiam in Mosaica. Absurdum conf. Ergo, &c.

R. neg. seq. maj. Nam, ut multis argumentis demonstratum est, Christus venturus ut redemptor & salvator hominum, in lege naturæ, & præsertim Mosaica, fuit ita publicè prædicatus & promulgatus, ut non solum aliquibus, nempe majoribus, sed etiam minoribus & multitudini, imò & quantum erat ex parte Dei omnibus singulis explicitè & distinctè sub hac ratione innoverit. Unde si multi in lege naturæ & scripta ignorarunt Christum esse venturum ut redemptorem & mediatorem, ignorarunt, vincibiliter; vel si invincibiliter ignorarunt, hoc non debet imputari Deo, sed malitiæ vel negligentiae hominum; nec ideo dici potest aliquibus impossibilem fuisse salutem: nam qui vincibiliter ignorarunt, potuerunt errorem suum deponere; iis verò, qui ignorarunt invincibiliter, si rectè usi essent mediis sibi ad salutem oblatis, Deus procurasset eis explicitam illam Christi notitiam, sine qua, ex lege à Deo statuta, justificationis beneficium consequi non poterant.

At inquit, Gratis & falsò dicitur, quod Christus

M

ven-

venturus ut redemptor & mediator, ita fuerit publicè propositus & promulgatus etiam in lege scripta, ut non solum maioribus, sed minoribus & multitudini sub hac ratione explicite & distinctè innotuerit: nam fuit error valde vulgaris inter Judæos, quod Messias venturus esset, ut rex temporalis. Ergo, &c.

R. neg. ant. *Ad prob. R. 1.* hoc esse falsum demonstrari posse ex plebeja illa muliercula Samaritana, quæ Joan. cap. 4. Christo dicenti, *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Pater tales querit, qui adorent eum. Spiritus Deus est, &c.* respondet: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Quibus verbis apparet communem & vulgarem fuisse etiam apud Samaritanos fidem explicitam Christi venturi ut regis spiritualis, & ducis ac doctoris hominum in rebus ad salutem & cultum Dei pertinentibus. At si fides explicita Christi venturi ut regis spiritualis & ducis, &c. communis & vulgaris fuit inter Samaritanos, quomodo potuit non esse communis & vulgaris inter Judæos, de rebus ad religionem pertinentibus longè instructiores, juxta illud Christi eodem loco: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.*

R. 2. dato quod expectatio Messie ut regis temporalis, fuerit error valde vulgaris inter Judæos, hunc errorem fuisse vincibilem & culpabilem in omnibus, aut saltem in majori parte eorum qui Messiam ut regem temporalem expectabant, ut satis ostendit exemplum Samaritanorum.

ARTICULUS III.

Utrum fides explicita Incarnationis sit necessaria necessitate mediæ ad salutem adultorum peccatorum in lege gratiæ.

RESPONSIO I.

IN lege gratiæ aliqua fides explicita mysterii Incarnationis, est medium simpliciter & in re necessarium ad salutem adultorum peccatorum.

Prob. Nam in lege gratiæ (supple semper, post sufficientem Evangelii promulgationem) nullus adultus peccator justificari potest sine aliqua fide explicita mysterii Incarnationis. Ergo, &c. Consequentia patet: nam adultus peccator salvari non potest, nisi justificetur.

Prob. ant. 1. Ex Scriptura. Nam Christus ipse dicit Joan. cap. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sicut ergo morsæ serpentibus in deserto non sanabantur, nisi aspicerent aneum serpentem à Moysæ exaltatum; ita nec adulti mortalis culpæ veneno infecti, sanari & salvari possunt, nisi Christum pro peccatis nostris mortuum per fidem intueantur.

Ejusdem cap. 17. ait idem Christus: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Ubi aperte significatur fidem Christi tam necessariam esse ad justificationem & salutem, quam fidem unius veri Dei, Fides autem explicita unius veri Dei est medium simpliciter & in re necessarium ad justificationem & salutem adulti peccatoris. Ergo, &c.

Act. cap. 26. Christus sic alloquitur Paulum: *Nunc ego mitto te (ad Gentes) ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem quæ est in me.* Quibus verbis adultorum justificatio fidei explicitæ Christi tanquam radici & fundamento manifestè attribuitur. Idem planè docet Petrus Apostolus *Act. cap. 15.* ubi de Gentibus sic ait: *Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum, hoc est fide evangelica in Christum, de qua ibi Petrus loquitur.*

Apostolus Paulus pluribus locis idem disertè testatur, ut Rom. cap. 3. *Justitia Dei, inquit, per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* Et Galat. cap. 2. *Scientes, inquit, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Quibus expressius dici posset ad asserendam in fide explicita Christi necessitatem mediæ ad justificationem adultorum.

Prob. ant. 2. Ex Conc. Trident. Nam sess. 6. cap. 6. inter dispositiones, quibus adulti peccatores ad justificationis beneficium preparantur, primo loco ponit fidem explicitam Christi. *Disponuntur autem, inquit, ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt; atque illud in primis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Et cap. 8. exponens illud Apostoli Rom. cap. 3. *Arbitramur justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesia Catholica consensus tenuit & expressit; ut scilicet per fidem idèo justificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Prob. 3. Ex SS. Patribus, pro quibus omnibus sit S. Augustinus. Nam sic loquitur in lib. de spir. & littera cap. 29. *Fide Jesu Christi impetramus salutem, & quantum nobis inchoatur in re, & quantum perficienda expectatur in spe.* Et lib. de nat. & grat. *Si non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.* Et lib. de prædest. Sanct. cap. 7. *Si posset (Centurio) sine fide Christi esse salvus, non ad eum edificandum mitteretur archiepiscopus Petrus.*

RESPONSIO II.

In lege gratiæ fides explicita mysterii Incarnationis, non solum quoad munus redemptoris & mediatoris Dei & hominum, sed etiam quoad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, est medium simpliciter necessarium ad salutem adulti existentis in peccato mortali.

Prob. Nam de hac fide intelligi debent Scripturæ, cum dicunt fidem Christi necessariam ad justificationem adulti peccatoris in lege evangelica. Et verò cum Apostolus ait hominem in lege gratiæ non justificari, nisi per fidem Jesu Christi, & justitiam Dei per fidem Jesu Christi confertis qui credunt in eum loquitur de fide Jesu Christi, quæ ipse credebatur in eum; ad quam dicit, Galat. cap. 3. homines in lege gratiæ reservatos esse, quam ipse cum aliis Apostolis prædicabat. Hæc autem fides est procul dubio fides explicita Christi, ut hominis & Dei, redemptoris & mediatoris Dei & hominum, passi, mortui, & è mortuis suscitati pro hominum salute. Ergo, &c.

Prob. 2. Autoritate S. Augustini. Nam sic habet lib. de peccato originali cap. 24. *Unus est enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Quoniam non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; & in illo definit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu, sine fide, inquam, resurrectionis ejus, quam Deus hominibus demonstravit, quæ utique sine incarnatione ejus & morte non potest veraciter credi sine fide ejus incarnationis, & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos, ut justii essent, a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas*

ritas Christiana non dubitat: sive in eis iustis quos sancta Scriptura commemorat, sive in eis iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluvium, vel inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solum in filiis Israel, sicut fuerunt prophetae, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job.

Itaque juxta S. Doctorem, veritas Christiana non dubitat, fidem Incarnationis non solum quantum ad munus redemptoris, sed etiam quantum ad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi, etiam ante adventum Christi semper fuisse medium necessarium ad justificationem adultorum; & à fortiori non dubitat, esse eodem modo necessariam post Christi adventum.

Nec juvat dicere, quod juxta S. Doctorem, fides Incarnationis quoad illa omnia, non debuerit esse explicita, nisi in solis majoribus; & fides confusa & implicita divinitatis, passionis, mortis & resurrectionis Christi cum explicita fide illius ut redemptoris & mediatoris, sufficeret in minoribus in lege naturae & scripta. Nam tunc ad justificationem adultorum fides explicita incarnationis non solum quoad munus redemptoris, sed etiam quoad divinitatem, passionem, &c. necessaria fuit in solis majoribus, quia tunc incarnatio quoad illa omnia fuit explicitè propolita solis majoribus. At in lege gratiae mysterium Incarnationis tam minoribus, quam majoribus explicitè & distinctè proponitur ad credendum, non solum quoad munus redemptoris, sed etiam quoad divinitatem, passionem, mortem & resurrectionem Christi. Ergo in lege gratiae ad justificationem necessaria est tam in minoribus, quam in majoribus fides explicita Incarnationis non solum quoad munus redemptoris, sed etiam quoad divinitatem, passionem, &c.

Prob. 3. Ratione. Quia in lege gratiae mysterium Incarnationis non solum quoad munus redemptoris, sed etiam quoad passionem, mortem & resurrectionem, ita publicè proponitur & prædicatur, ut non tantum majoribus, sed & minoribus explicitè & distinctè innoscatur: imò ita publicè ab Apostolis promulgatum est, ut quantum est ex parte Dei, notum sit omnibus & singulis; ita ut qui ignorant illud, sive ex toto, sive ex parte, vincibiliter ignorent; vel si ignorant invincibiliter, hoc non Deo, sed hominibus imputandum sit. Ergo convenientissimum est ut mysterium Incarnationis quoad illa omnia explicitè creditum, sit in lege gratiae omnibus & singulis adultis medium simpliciter necessarium ad justificationem.

Prob. conseq. Nam cum nullus adultus justificetur nisi propter merita mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi, qui cum in forma Dei esset, ut redimeret nos, formam servi accepit, & mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram; maxime congruum fuit, ut nullus adultus justificaretur sine fide explicita illorum omnium in ea lege, in qua illa omnia omnibus, quantum est ex parte Dei, explicitè & distinctè proponuntur credenda.

Dices 1. Satisfit auctoritati Scripturæ & Patrum, si intelligantur de fide implicita Christi etiam pro lege evangelica. *R. neg.* Nam Scripturæ & Patres non possunt intelligi de fide implicita Christi, qui accipiuntur in sensu improprio; cum fides implicita non sit nisi impropria fides illius, cuius dicitur esse fides, ut jam observatum est. At hic nihil planè est, quod cogat ad accipiendum Scripturas & Patres in sensu improprio.

At inquit. Ratio accipiendi in sensu improprio Scripturas & Patres, dum ad justificationem adulti in lege gratiae asserunt fidem Christi esse medium necessarium, est, quia si ad justificationem adulti in lege gratiae non sufficit fides implicita Christi, adultus justificari non potest cum sola fide Dei ut existentis, & inquirentibus se remuneratoris.

Sed contra est, quia 1. hac ratio nullus est mo-

Simonnet Theol. Tom. II.

menti respectu adulti fidelis, qui mysterium Incarnationis, quantum ad ea quæ, ut loquitur S. Thomas, quæst. 2. a. 7. in O. communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur, explicitè & distinctè novit, vel nosse debet. Quasi verò durius sit ab adulto peccatore ad hoc ut cum Deo in gratiam redeat, exigi fidem explicitam mysterii quod potest & tenetur explicitè scire, & ad quod credendum abundantem gratiam habet!

2. Non est etiam alicujus momenti respectu adulti infidelis: nam si bene uteretur gratis sibi à Deo pro loco & tempore oblatis, Deo providente, sufficienter instrueretur ad explicitè credendum non solum Deum esse, & inquirentibus se remuneratorem, sed etiam Filium Dei incarnatum, passum, mortuum, & è mortuis suscitatum fuisse pro salute hominum.

Dices 2. Saltem satisficit Scripturæ & Patribus, si dicatur fidem explicitam Incarnationis esse medium ad justificationem adultorum in lege gratiae necessarium secundum quid, hoc est, in re vel in voto. *R. hoc etiam sine sufficienti fundamento dici: nam Scripturæ & Patres expressè significant fidem explicitam Incarnationis, & quidem quoad ea omnia quæ de ea communiter in Ecclesia solemnizantur, & omnibus fidelibus credenda publicè proponuntur, necessariam esse necessitate mediæ ad justificationem adultorum in lege evangelica; & nullibi insinuant votum ejus sufficere. Unde bene inferitur Scripturam & Patres velle fidem illam explicitam Incarnationis esse necessariam in re: sicut bene inferretur baptismum esse necessarium in re ad justificationem adultorum in lege gratiae, ex eo quod Scriptura simpliciter assereret esse necessarium, nisi aliunde ex ipsa Scriptura, vel traditione sufficienter constaret quandoque votum illius sufficere.*

At inquit. Dum Apostolus Hebr. cap. 11. dicit: *sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit;* satis significat etiam in lege gratiae sufficere ad justificationem adultorum fidem explicitam, qua creditur Deus existere, & inquirentibus se remunerator esse, & consequenter fidem explicitam Christi non esse necessariam simpliciter & in re, sed sufficere votum illius. *R. cum S. Thomas, q. 2. art. 8. ad 1. Apostolum loco citato solum significare, quod fides explicita Dei existentis & remuneratoris sit medium necessarium ad justificationem adultorum, non verò quod sufficiat: sicut cum dicit, v. g. Galat. cap. 2. Sciens quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, &c. solum significat fidem explicitam Christi esse ad justificationem adultorum necessariam necessitate mediæ, non verò quod sufficiat sine alia fide.*

Dices 3. Dilectio Dei super omnia propter se, & perfecta contritio de peccatis, sunt dispositiones proximæ ad justificationem, quibus positis, statim & infallibiliter sequitur justificatio. Atqui dilectio Dei super omnia, & perfecta contritio haberi possunt sine fide explicita Christi: nam ad illas sufficit fides Dei existentis, & inquirentibus se remuneratoris. Ergo, &c. *R. neg. min.* Quia nemo habere potest dilectionem Dei propter se, & contritionem de peccatis ob Deum propter se dilectum, nisi ad hoc per interiorem gratiam prævenientem excitetur, quod ex ordinatione divina nunquam fit in lege evangelica, nisi cum peccator explicitè credit Christum esse Filium Dei, redemptorem, & mediatorem hominum, atque passum, mortuum, & è mortuis suscitatum pro salute nostra.

At inquit. Si Deus adultum peccatorem, habentem fidem explicitam Dei existentis, & inquirentibus se remuneratoris, non statim excitaret ad contritionem perfectam, esset causa, cur adultus peccator maneret in statu peccati. *R. hoc neg.* Deus enim non tenetur adultum peccatorem, habentem fidem explicitam Dei existentis, & inquirentibus se remuneratoris, excitare ad contritionem; imò nec tenetur etiam cum

adultus peccator habet fidem explicitam non solum Dei existentis & remuneratoris, sed etiam incarnationis quoad ea omnia, quæ de illa fideles omnes tenentur credere; & si tunc excitat, hoc facit ex pura misericordia.

At inquit. Ubi primum adultus peccator habet id, quod requiritur ex parte intellectus, ad amandum Deum propter se, & dolendum de peccatis ob Deum propter se amatum, nec ponit ullum impedimentum actuale ex parte voluntatis, statim Deus illum excitat ad actum charitatis & contritionis perfectæ: nam peccatores in hac vita semper & in quocumque momento justificari possunt, quantum est ex parte Dei. Atqui adultus peccator habens fidem explicitam Dei existentis & remuneratoris, habet id quod requiritur ex parte intellectus ad amandum Deum propter se, & dolendum de peccatis propter Deum sic amatum; nec ponit ullum impedimentum actuale ex parte voluntatis, ut supponi potest. Ergo, &c.

R. neg. maj. & ejus prob. quæ gratis & sine sufficienti fundamento asseritur; imò & contra experientiam, ex qua constat fideles peccatores, etiam de rebus fidei bene instructos, & ita habentes fidem explicitam non solum Dei existentis & remuneratoris, sed etiam Christi redemptoris & mediatoris, &c. & nullum ex parte voluntatis actuale impedimentum ponentes, deposito scilicet omni affectu actuali ad peccatum, non semper, sed tantum pro loco & tempore excitari ad dolendum de peccatis, alios quidem citius, & alios tardius, item frequentius alios & uberius, alios verò rarius & parcius, prout Deo libet, qui cujus vult miseretur, & quando vult, & quomodo vult, & nemini injuriam facit, cum nemini debitor sit.

At inquit. Supposita nostra doctrina, Catechumeno jamjam morituro, & habenti solam fidem explicitam Dei existentis & remuneratoris, salus impossibilis est: non enim potest sine miraculo habere fidem explicitam mysterii Incarnationis, quod supponitur ignorare, & de quo jam propter temporis angustiam non potest absque miraculo sufficienter instrui. R. Catechumenum illum debere sibi imputare hanc impossibilitatem, in quam vel ob malitiam, vel ob negligentiam suam culpabilem incidit. Effet tamen propter probabilitatem oppositæ sententiæ, ad fiduciam in Deum & dolorem de peccatis adhortandus, & baptismus petenti non esset denegandus.

Dices 4. Cornelius Centurio de quo Act. cap. 10. justificatus fuit sine fide explicita Christi: nam de illo, antequam haberet fidem explicitam Christi, dicitur: *Vir autem quidam erat in Caesarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens elemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.* Et inferius: *Cornelius Centurio vir justus & timens Deum, &c.* R. neg. Nam Cornelius non fuit justificatus, nisi postquam à Petro ad se vocato doctrinam evangelicam sufficienter edoctus est, & habuit fidem explicitam Incarnationis etiam quoad divinitatem passionem, mortem & resurrectionem Christi, &c., ut credibile est, eo instanti quo *Spiritus Sanctus cecidit super omnes qui audiebant verbum*, antequam à Petro baptizaretur. Porro Cornelius, antequam admonitus Angelo ad se Petrum accerteret, non habuit perfectum Dei amorem, sed inchoatum tantum, ex quo aliqua pietatis opera exercebat, quibus prædicationis evangelicæ gratiam impetravit. Neque plus dicunt priora verba Scripturæ; & cum missi à Cornelio, respondent Petro. *Cornelius vir justus, &c.* perinde est ac si dicerent: Cornelius vir frugi, vir bonus, &c.

In sententia nostra procul dubio fuit S. Augustinus, præferens lib. de præd. Sanct. cap. 7. ubi de Cornelio sic ait: *Si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum adificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* At si Cornelius sine fide explicita Christi (de ea enim loquitur S. Doctor) fuisset justificatus, sanè potuisset sine hac fide esse salvus.

At inquit. S. Thomas 3. p. q. 69. a. 4. ad 2. docet Cornelium justificatum fuisse cum fide implicita Christi. R. neg. inst. Nam S. Thomas dicit Cornelium justificatum fuisse cum fide Christi, & implicito vel explicito desiderio baptismi. Verba Sancti Doctoris sunt: *Cornelius & alii similes consequuntur gratiam & virtutes per fidem Christi, & desiderium baptismi implicitè vel explicitè.* Hæ autem voces, *implicitè vel explicitè*, manifestè cadunt in desiderium baptismi, non in fidem Christi.

Quod autem S. Doctor fuerit in nostra sententia, patet ex eo quod scribit in 3. Sentent. dist. 25. q. 2. a. 2. quæstiuncula 2. *Post adventum Christi*, inquit, *quia jam mysterium redemptionis impletum est, & corporaliter & visibiliter predicatum, tenentur omnes ad credendum explicitè, & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret.* Has voces, *si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret*, pondera: nam clarè significant necessitatem, non præcepti tantum, sed medii.

ARTICULUS IV.

Utrum fides explicita Trinitatis in lege gratiæ necessaria sit necessitate medii ad salutem adultorum peccatorum.

RESPONSIO.

Post sufficientem Evangelii promulgationem fides explicita Trinitatis est medium simpliciter necessarium ad salutem adultorum existentium in peccato mortali.

Prob. Post sufficientem Evangelii promulgationem nullus adultus existens in peccato mortali justificari potest sine fide explicita Trinitatis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam, ut probatum est, post sufficientem Evangelii promulgationem nullus adultus existens in peccato mortali, justificari potest sine fide explicita Incarnationis, quantum ad divinitatem Christi. Atqui fides explicita Incarnationis, quantum ad divinitatem Christi, haberi non potest sine fide explicita Trinitatis. Ergo, &c.

Dices. Fides explicita Trinitatis non fuit medium ad justificationem adultorum existentium in peccato mortali necessarium in lege naturæ & scripta. Ergo nec est in lege gratiæ. R. neg. conseq. Nam est magna disparitas: in lege enim naturæ & scripta mysterium Trinitatis non fuit ita propositum & promulgatum, ut tam minoribus quam majoribus innotescere posset. Unde communiter ignorabatur à fidelibus utriusque legis, proindeque non potuit esse medium ad salutem necessarium in lege naturæ & Mosaica. At in lege gratiæ mysterium Trinitatis ita publicè prædicatur & proponitur, ut non solum aliquibus, sed etiam multitudini, non solum majoribus, sed etiam minoribus innotescat: ita ut si qui sunt, in religione Christiana educati, qui mysterium illud ignorant, ignorent ob aliquam culpam vel suam, vel aliorum quorum curæ sunt commissi. Unde fideles omnes in lege gratiæ tenentur explicitè credere mysterium Trinitatis.

Dices iterum. Multi ita rudes sunt & ingenio tardi, ut non possint intelligere, quomodo in una & eadem divinitate sint tres personæ, realiter inter se distinctæ. Ergo multis salus erit impossibilis, si fides explicita Trinitatis est necessaria necessitate medii ad salutem omnis adulti peccatoris.

R. neg. conseq. Non enim requiritur, ut rudes illi & tardi ingenio intelligant, sed tantum ut credant; seu non requiritur, ut cognoscant quomodo in una & eadem divinitate sint tres personæ realiter inter se distinctæ, sed tantum ut propter auctoritatem divinam, sufficienter propositam, firmissimè assentiantur in una & eadem divinitate esse tres personas realiter inter se distinctas. Hinc illud S. Augustini de ejusmodi hominibus lib. contra epist. fundamenti, cap. 4. *Turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas curissimam facit.* Sed ad plenioram propositæ difficultatis solutionem,

Nota,

Nota, tria tantum requiri, ad credendum mysterium Trinitatis (idem dic de quolibet alio mysterio) nempe ut intellectus possit apprehendere terminos, & eorum significationem; judicare sicut oportet de credibilitate revelationis; & propter illam assentiri firmissimè. At primum solis naturæ viribus potest quilibet homo, quantumlibet rudis & ingenio tardus; secundum verò & tertium cum auxilio gratiæ, quæ rudibus non deest, cum mysterium Trinitatis eis propter auctoritatem Dei revelantis credendum proponitur.

At inquires, Fides explicita Trinitatis seculo miraculo planè extraordinario, impossibilis est surdis & mutis à nativitate, item educatis inter barbaros, vel in solitudine, ubi nihil unquam auditum est de mysterio Trinitatis, sicut nec de mysterio Incarnationis.

R. 1. de educatis inter barbaros vel in solitudine, ubi nihil unquam auditum est de mysterio Trinitatis, quòd si rectè uterentur gratiis, quas pro loco & tempore accipiunt, Deus procuraret illi prædicationem Evangelii, vel illos per se aut Angelos instrueret. Præterea, fides explicita Dei ut auctoris gratiæ & gloriæ, non minus est impossibile adultis educatis inter barbaros, vel in solitudine, ubi nihil unquam auditum est de Deo ut largitore gratiæ & gloriæ: nec tamen inde colligi potest fidem explicitam Dei ut auctoris gratiæ & gloriæ non esse medium simpliciter necessarium ad salutem quorumcumque adultorum existentium in statu peccati mortalis; cum Apostolus generaliter dicat de omnibus hominibus: *Oportet accedentem ad Deum credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

R. 2. de peccatoribus surdis & mutis à nativitate, quòd non possint justificari sine fide explicita Dei ut largitoris gratiæ & gloriæ. Unde vel salus est illis impossibilis, vel possunt cum speciali Spiritus Sancti assistentia habere fidem illam. At si possunt cum speciali Spiritus Sancti assistentia, & sine miraculo extraordinario, habere fidem explicatam Dei ut largitoris gratiæ & gloriæ; quidni pariter possent habere, & re ipsa habebunt nisi ipsimet libere obstat, fidem explicitam Dei ut unius in essentia & trini in personis, Deo hominibus illos per signa vel picturas instrumentibus cooperante, & interius illustrante & per se ipsum, vel Angelum, quòd instructioni deest, supplem?

Porrò non est hic prætermittendum, quod fatentur adversarii, videlicet sententiam nostram esse in praxi tenendam, & teneri non solum pastores suos subditos de mysterio Trinitatis & Incarnationis diligenter instruere, sed etiam confessarios suos penitentes, quos advertunt esse valde rudes, & rerum fidei ignaros.

Quæres, utrum etiam fides explicita aliorum articulorum, qui in Symbolo continentur, sit necessaria necessitate mediæ ad salutem adultorum peccatorum?

R. hanc fidem non in re, sed in voto esse medium necessarium ad salutem adulti peccatoris. Nam nullus, adultus justificari potest sine proposito servandi præcepta. Atqui præceptum est, ut credantur explicitè omnes articuli Symboli. Ergo, nullus adultus justificari potest sine proposito credendi explicitè omnes articulos symboli, & consequenter propositum seu votum fidei explicitæ omnium articulorum Symboli, est medium necessarium ad justificationem, ac proinde ad salutem hominis adulti existentis in peccato mortali.

Addo, necessariam quoque esse necessitate mediæ ad justificationem & salutem adulti peccatoris fidem implicitam omnium omnino, aliarum veritatum à Deo revelatarum: nam, ut definit Trident. sess. 6. cap. 6. actus quo explicitè credimus vera esse ea, quæ à Deo revelata sunt, necessarius est necessitate mediæ ad justificationem adulti. Atqui talis actus est fides implicita omnium omnino veritatum, quæ divinitus revelatæ sunt. Ergo, &c.

Simonnet Theol. Tom. II.

ARTICULUS V.

Utrum actus fidei divine sit etiam necessarius necessitate præcepti.

RESPONSIO.

Necessarius est necessitate præcepti.

Prob. Nam 1. Marci cap. ult. dicitur: *Qui non crediderit condemnabitur.* Quibus verbis exprimitur saltem necessitas præcepti. Et 1. Joan. cap. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.*

At inquires, Non potest dici, per quem actum innoteat præceptum illud. *R.* neg. & dico innoteare per iudicium, quod præcedit fidem divinam. Itaque facta sufficienti propositione revelationis & præcepti de credendo, intellectus non solum cognoscit id, quòd ad credendum proponitur, esse credibile, sed etiam iudicat esse credendum. Quod iudicium supernaturale est, nec tamen est fides divina, sed actus præcedens voluntatem credendi, & ipsam fidem divinam.

At inquires, Intellectus per actum illum vel iudicat esse credendum fide supernaturali, vel non iudicat. *R.* iudicare credendum esse assensu super omnia firmo præcisè propter summam auctoritatem Dei loquentis. Quod cum superet vires naturæ, consequens est illum iudicare credendum esse fide supernaturali. In quo nullum est inconveniens.

Quæres 1. quoruplex sit præceptum fidei divinæ? *R.* duplex esse, unum affirmativum, & alterum, negativum. Affirmativum est illud, quod obligat nos ad credenda mysteria fidei; negativum verò, quòd nos obligat ad non dissentendum illis, neque de illorum veritate dubitandum. Item affirmativum non obligat nos, ut credamus explicitè omnes & singulas veritates à Deo revelatas, neque ut credamus quodlibet tempore: obligat enim solum ad credendum explicitè certas quasdam veritates, & certo quodam tempore. Negativum verò complectitur omnes veritates revelatas & omne tempus: semper enim illicitum est dissentire veritati, sufficienter propositæ ut à Deo revelatæ, quæcumque sit illa veritas.

Quæres 2. ad quid præceptum affirmativum fidei nunc obliget? *R.* obligare ad credendum explicitè omnia mysteria in Symbolo contenta. Ita satis apertè sentit S. Thomas q. 2. a. 5. in O. & *prob. 1.* Auctoritate S. Augustini serm. 135. de tempore, ubi sic ait: *Symbolum est regula fidei nostra brevis & grandis, brevis numerus verborum, grandis pondere sententiarum.* Quis autem negabit quemlibet Christianum graviter obligari ad tenendam explicitè ejusmodi regulam fidei suæ? 2. Quia in primitiva Ecclesia non baptizabantur adulti, nisi prius didicissent, & memoriter recitassent Symbolum Apostolorum, ut patet ex can. 46. Concilii Laodiceni: *Baptizandos oportet fidei Symbolum discere, & quinta feria ultima septimana, vel episcopo vel presbyteris reddere.*

Quæres 3. utrum Christianus obligetur tantum ad credenda explicitè ea, quæ continentur in Symbolo? *R.* ad ea tantum teneri ex præcepto fidei divinæ. Sed præterea teneri ad credenda ea quæ pertinent ad Baptismum, Eucharistiam, sacramentum Pœnitentiæ, Decalogi, &c. quæ obligatio non oritur ex præcepto fidei, sed ex præcepto religionis, iustitiæ, & aliarum virtutum.

ARTICULUS VI.

Utrum actus externus fidei sit necessarius ad salutem.

Nota 1. Actus externus fidei, verus scilicet (nam de vero agitur, non de falso) est externa confessio, qua quis profitetur exterius actum internum fidei, quo assentitur rebus à Deo revelatis, juxta illud Apostoli Rom. cap. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem fit confessio ad salutem.* Unde actus fidei externus refertur ad duo, videlicet ad actum

M 3 in.

internum fidei, cuius est signum, & ad veritatem revelatam, tanquam ad objectum actus interni, quocumque unum quid moraliter efficit, sicut locutio externa cum interna.

Nota 2. Confessio externa fidei fieri potest ex diversis motivis. 1. scilicet ad placendum Deo. 2. Ad beatitudinem aeternam consequendam. 3. Ad colendum Deum, & proestandam ejus excellentiam. 4. Ad obediendum Deo ita imperanti. 5. Ad confirmandum proximum in fide. 6. Ad verum dicendum. 7. denique propter auctoritatem Dei loquentis creditibiliter, quia nimirum digna est, ut ei non solum interno assensu, sed etiam externa locutione adheramus, quantum possumus. Quando enim Deus nobis loquitur creditibiliter, meretur non solum ut interius judicemus verum esse id quod dicit, sed etiam ut illud profiteamur exterius.

Primo modo pertinet ad charitatem, secundo ad spem, tertio ad religionem, quarto ad obedientiam, quinto ad charitatem proximi, sexto ad veritatem, septimo denique ad virtutem fidei: nam generatim actus externi pertinent ad eas virtutes, ex quarum motivo exercentur. Sed confessio fidei hoc ultimo modo exercetur ex motivo proprio virtutis fidei: eadem enim honestate, qua interius honestum est assentiri rebus à revelaris propter auctoritatem divinam, honestum etiam est exterius profiteri se assentiri rebus à Deo revelatis propter auctoritatem divinam: nam assentiri auctoritati divinæ, quia digna est, & assensum ei datum exterius profiteri, quia pariter digna est, est una & eadem honestas.

Sicut ergo actus externus & internus temperantiæ v.g. pertinent ad eandem virtutem temperantiæ, quia fiunt ex eadem honestate, ita pariter actus internus fidei & ejus externa professio pertinent ad eandem virtutem fidei, quando externa professio fidei sit propter auctoritatem Dei loquentis, quia digna est; tunc enim actus externus & internus fidei sunt propter eandem honestatem.

RESPONSIO.

Externa confessio fidei necessaria est necessitate præcepti, quo jubemur profiteri fidem nostram suo tempore.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam Rom. cap. 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo externa confessio fidei necessaria est ad salutem; non necessitate mediæ, ergo necessitate præcepti. Ergo, &c. 2. Ex S. Augustino lib. de Fide & Symbolo, cap. 1. *Fides, inquit, officium à nobis exigit & cordis & lingue.* 3. Ex innumerationum Martyrum exemplo, & ulu perpetuo, ac unanimi sensu Ecclesiæ.

Hoc autem præceptum exterius fidem profitendi, cum sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed solum pro aliquo, quando scilicet externa fidei professio necessaria est ad honorem Dei, vel ad utilitatem proximi. At cum ex tali professione nulla expectetur utilitas, sed tantum turbatio infidelium, tunc non obligat, ut docet S. Thomas, quæst. 3. a. 2. ad 3. ubi etiam dicit quod si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione infidelium, debet homo publice fidem confiteri.

Quæres 1. utrum aliquando liceat negare fidem, præsertim ad vitandam mortem?

R. nunquam licere, ut *prob. 1.* ex Scriptura; nam ipse Christus ait Matth. cap. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.* Quæ verba generaliter & absque restrictione dicta, intelligenda sunt pro quolibet casu, & periculo mortis, ut intelliguntur à Patribus, & ab Ecclesia, quæ gravibus pœnis olim subiciebat eos, qui in tyrannorum persecutionibus fidem Christi negabant, etiam ad vitanda gravissima tormenta, & mortem accerbissimam.

2. Ratione: quia qui exterius negat fidem, quam interius proficitur, mentitur in re gravi; quod est

graviter illicitum. Item gravem injuriam facit Christo, quem erubescit. Unde contra ejusmodi Christus ait Luc. c. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.*

Accedit auctoritas S. Augustini, tract. 62. in Joan. *Quanta vita est, inquit, confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.* Hinc Catholicus, interrogatus num sit Christianus, peccaret graviter, 1. negando se esse Christianum, quia negaret se credere in Christum, & ita negaret Christi fidem. 2. Respondendo se esse Turcam, vel Judæum, aut Gentilem, quia hoc ipso negaret se esse Christianum. 3. Respondendo se non esse Papistam, Romanensem, Pontificium, quia hoc ipso negaret se esse Catholicum. Quod est veram Christi fidem negare. At Sacerdos vel Religiosus, interrogatus num sit sacerdos vel religiosus, peccaret quidem respondendo se non esse, quia mentiretur; at non negaret fidem, quia non negaret se esse Catholicum vel Christianum.

Quæres 2. utrum aliquando liceat tacere vel dissimulare fidem?

R. eum, qui ab infidelibus intuitu fidei & religionis interrogatur, num sit Christianus vel Catholicus, si à persona publica interrogatur, non posse tacere fidem, aut ambigere respondere, sed teneri ad apertè confitendum se esse Christianum vel Catholicum, etiam cum eminenti periculo vitæ.

Prob. Nam 1. qui in casu proposito taceret, vel quocumque modo fidem dissimularet, censeretur erubescere Christum. 2. Christianus tunc maxime teneretur apertè profiteri fidem suam, quando id postulat honor Dei. At honor Dei hoc postulat in casu proposito, quia in casu proposito hoc postulat honor fidei christianæ, qui conjunctus cum honore Dei, auctoritatis fidei christianæ.

Quod autem in casu proposito hoc postulet honor fidei christianæ, patet ex eo quod si Christianus, à persona publica interrogatus de sua religione, apertè profiteatur se esse Christianum, significet se magni facere fidem christianam, & pro ea quodlibet periculum subire paratum esse; quod fidei christianæ maxime honorificum est, è contra verò si neget, vel dissimulet se esse Christianum, significat se parvi facere fidem christianam, quod fidei christianæ indecorum est.

3. denique Princeps etiam infidelis jus habet in ditione sua interrogandi quemlibet de sua fide & religione, & consequenter Christianus ab eo interrogatus de sua fide & religione, teneretur ei respondere sine mendacio & ambiguitate.

Quod si à persona privata interrogaretur, per se loquendo, posset tacere, aut interrogationem eludere, dicendo, v.g. *Quid ad te? Quid me interrogas?* Dixi, per se loquendo, quia fieri potest ut Christianus etiam à persona privata de sua fide & religione interrogatus, teneatur apertè confiteri suam fidem & religionem, puta si alii Christiani præsentibus, ejus silentio vel dissimulatione scandalizarentur, vel offenderentur, aut si præsentibus hæretici vel infideles, erga religionem christianam bene affecti, eam contemnere inciperent propter ejus silentium, vel dissimulationem.

Quæres 3. utrum Christianus tempore persecutionis possit fugere, vel se occultare, ne cogatur confiteri fidem suam, & confitendo sese mortis periculo exponere.

R. posse, ut *prob. 1.* Ex verbis Christi, Matth. cap. 10. *Cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* 2. Exemplo Apostoli Pauli, qui per murum civitatis in sporta dimissus est, ut fugeret. 3. Exemplo multorum Sanctorum, ut Cypriani & Athanasii, qui ab Ecclesia non reprehenduntur, quod tempore persecutionis fugerint, &c. Hæc tamen fuga in pastore, vel episcopo illicita esset; si verb. grat. fuga ejus esset occasio cur fides nostra contemneretur, vel præsentia ejus necessaria esset ad confirmandos subditos ejus in fide: tunc enim ratione officii obligaretur ad manendum cum suis subditis tempore persecutionis, etiam cum periculo vitæ.

Que-

Quæres 4. utrum Christiano liceat per simulationem adorare idola, vel thus illis adolere?

R. non licere, ut prob. 1. Ex Apostolo 2. Cor. cap. 6. ubi sic ait. *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate?* Quibus verbis prohibetur omnis communicatio cum infidelibus, quæ infidelibus. Sed qui etiam per simulationem idola adorant, aut eis thus adolet, communicant cum infidelibus qua infidelibus. 2. Ex innumeris Martyribus, qui gravissima tormenta & mortem acerbissimam pati maluerunt, quam etiam per simulationem idola adorare, quia hoc esse graviter illicitum senserunt. 3. Ex consuetudine primitivæ Ecclesiæ, in qua fideles tanto studio vitabant ritus externos Gentilium, & quæ tam severe animadvertebantur eos, qui etiam per simulationem tantum idola adorassent. 4. Ratione: quia qui per simulationem adorant idola, facto ostendit se esse idolatram, & negat se esse Christianum. Quod utrumque graviter malum est.

Dices. Naaman Syrus per simulationem adorando in templo Remmon cum Rege suo, non peccabat ut aperte colligitur ex lib. 4. Regum, cap. 5. R. Naaman Syrus post conversionem suam à gentilitismo, nequidem per simulationem idola adorasse. Pro quo nota. Mos erat Regibus Syriæ, ut sive in foro, sive in templo, humero alterius inniterentur. Unde famulus, cujus humero innitebantur, tenebatur ex officio hoc illis præstare obsequium, ubicumque essent, sive in foro, sive in templo, ac proinde stare, vel ambulare, vel genuflectere, si rex staret, vel ambularet, vel genuflecteret.

Itaque cum Naaman Syrus esset ille, cujus humero innitebatur Rex, quando prodibat in publicum, vel adibat templum Remmon, & hoc ex officio præstare obsequium Regi suo, ex officio tenebatur stare, vel ambulare, vel genuflectere, cum Rex stabat, vel ambularet, vel genuflecteret, ubicumque, sive in foro, sive in templo staret, vel ambularet, vel genuflecteret. Rege igitur in templo Remmon genuflectente, genuflectebat Naaman, sed magno cum discrimine: Rex enim genuflectebat ante idolum, ut illud adoraret, Naaman verò ut debitum obsequium Regi præstaret. Unde genuflexio Regis fiebat intuitu religionis, & genuflexio Naaman intuitu obsequii civilis; proindeque genuflexio Regis erat actus religionis, & genuflexio Naaman obsequium civile, debitum Regi, & licite præstitum, quia & ipsi Regi & aliis adstantibus satis notum erat Naaman non genuflectere, nisi obsequii civilis causa, & ad fungendum officio suo præsertim si publicum erat illum jam Deum Judæorum colere. Unde Rex genuflectendo peccabat, Naaman verò non.

At inquit. Jehu lib. 4. Reg. cap. 10. non peccavit simulando se velle sacrificare idolo Baal, ut omnes ejus Sacerdotes occideret: nam ob factum laudatur à Deo. R. Jehu peccasse simulando se velle sacrificare idolo Baal, neque ob hanc simulationem laudatum, fuisse à Deo, sed quoddam Achab develisset.

Quæres ultim. utrum licitum sit uti vestibus infidelium.

R. illicitum esse uti vestibus infidelium, specialiter destinatis ad professionem vel exercitium falsæ religionis: nam qui uteretur, falsam religionem facto profiteretur, & ita facto fidem suam negaret. Propter eandem rationem videtur nullo modo licitum esse, etiam ad vitandam mortem uti veste infidelibus propria eorumque ab aliis sectis distinctiva, qualis est v. g. thobalia Turcica: nam qui gestat vestem propriam alicujus sectæ, & illius ab omnia alia secta distinctivam, videtur facto profiteri se ad sectam illam pertinere: sic v. g. qui in Turcarum ditione gestat thobaliam Turcicam, videtur facto profiteri se esse Turcam, & consequenter videtur profiteri se esse infidelem, quoddam est illicitum.

Multi tamen sunt in opposita sententia, quam judicant esse probabiliorē, & docent Christianum in terris infidelium degentem, ex gravi causa, put

Simonne Theol. Tom. II.

tà ad servandam vitam, posse assumere vestem infidelium propriam, & eorum distinctivam ab aliis sectis, purā gestare thobaliam Turcicam in Turcia, modo non intendat simulare se esse infidelem, sed solum religionem suam occultare, eo tempore, & loco, quo non tenetur eam profiteri; quia, inquit, non mentitur; & vestis illa, qua utitur; non est per se propriæ, & directè signum potestativum falsæ religionis.

DISPUTATIO V.

De habitu Fidei, & ejus subiecto.

ARTICULUS I.

Utrum detur habitus fidei.

RESPONSIO I.

Datur fidei habitus naturalis & acquisitus. *Prob.* experientia: nam fideles crebrò & intensè exercentes actus fidei divinæ, magnam credendi facilitatem acquirunt. Atqui per habitum fidei naturalem & acquisitum intelligimus hanc facilitatem. Ergo, &c. Ratio à priori est, quia potentia naturalis acquirit habitus se exercendo. Atqui potentia naturalis tam exercet se per actus supernaturales, quales sunt actus fidei divinæ, quam per actus naturales; tam enim impendit se actibus supernaturalibus quam naturalibus. Ergo, &c.

Dices. Habitus naturalis non potest inclinare potentiam naturalem ad actus supernaturales. Ergo implicat fidei habitus naturalis & acquisitus. R. non posse, si potentia naturalis non eleveatur per principium supernaturale; at posse, si elevatur: nam potentia naturalis elevata facilius exercet actus supernaturales cum habitu naturali, quam sine illo. *Nota.* Cum potentia naturalis elevatur, elevatur etiam habitus naturalis & acquisitus, quem habet. Unde sicut potentia naturalis elevata potest producere actus supernaturales, ita habitus naturalis elevatus potest inclinare ad actus supernaturales.

RESPONSIO II.

Datur etiam in intellectu habitus fidei per se infusus & supernaturalis.

Prob. Ex Conc. Trident. sess. 6. ubi postquam cap. 6. inter dispositiones ad justificationem prærequiritas recensuit actum fidei divinæ, sic exorditur caput 7. *Hanc dispositionem justificationem ipsa consequitur, quæ est sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Quid autem per hæc dona intelligat, exponitur inferius eodem capite his verbis: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem & charitatem.* Quæ verba intelligi non possunt, nisi de fide, spe, & charitate habituali.

Ratio autem est, quia conveniens est intellectum compleri per principium intrinsecum & permanentem, ut sic sit intrinsecè & permanentè habilis ad eliciendos actus fidei divinæ, & ita connaturaliùs actus illos eliciat. Dixi, connaturaliùs, quia intellectus potest elicere actus fidei divinæ sine habitu infuso & supernaturali, cum solo concursu extraordinario, sicut primus saltem actus fidei divinæ elicitur ab homine, qui ad fidem convertitur.

RESPONSIO III.

Præter habitum illum intellectualem, per se infusum & supernaturalem, quo intellectus immediatè & intrinsecè completur ad eliciendum actum fidei divinæ, datur etiam in voluntate habitus per se infusus & supernaturalis, ad eliciendum actum pie credulitatis, seu imperii, quo intellectus à voluntate efficaciter applicatur ad actum fidei.

M 4 *Prob.*